

Johann Festing

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius, In  
Meditatione De Concordia Ecclesiastica Et Civili. Occasione Loci Actor. c. 2. v. 1  
Ad Spiritus Sancti Gratiam In unanimi consensu & fraterno amore expectandam,  
Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos, eo quo decet, studio, secum excitat  
[P.P. Sub Sigillo Rectoratus, ipso die Pentecostes A. Dom. MDCXC]**

Rostochi[i]: Weplingius, [1690]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734002572>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

---

1690. Pfingsten.

~~M-1256~~ 61.

Ms. 1690

PROGRAMMA  
<sup>2uo</sup>  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
JOHANNES FE-  
STINGIUS.

In  
MEDITATIONE  
De

CONCORDIA ECCLESIA-  
STICA ET CIVILI.

*Occasione Loci Actor, c. 2. v. 1.*

Ad

SPIRITUS  
SANCTI



Gratiam,

In unanimi consensu & fraterno  
amore expectandam,

*Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos, eo, quo  
debet, studio, secum excitat.*

Rostochl, Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Acad: Typogr.

M. 1256<sup>61</sup>



Concordiam laudant omnes, & quod ait *Aristides* Sophista, cum de re alia quavis in utramq; partem disputari possit: de concordia neminem unquam contendisse constat. Sic maximum societatis bonum communi probatur calculo. Equidem non potest in homine esse ratio, qui nolit concordiae agnoscere praestantiam. Etenim si pulcherrimam hanc universi machinam aspiciamus, ipsa rerum elementa nihil aliud sunt, quam concordia quaedam: nec in corpore minus suo ipso admonetur quis de concordia. Adeo nisi membra invicem praebent ministerium, pereunt singula: quali apologo *Agrippa* Menenius Lanatus composuit excandescens Romanae plebis impetum. Certe nos sumus membra invicem; hinc hominem homini insidiari nefas est: Nos sumus membra Christi, quod in sacris dicitur paginis; hinc in fide firma debet esse nostra concordia. Qui simul habitant, membra sunt unius corporis civilis nempe reipublicae; hinc necesse est, ut membra inter se conveniant & communem salutem cogitent: corporis alias compages dissolvenda erit. Omnia naturae opera (quod proponit *Saavedra* *ymb. 89.*) amicitia & concordia conservantur; & contra hac deficiente, illa quoque; extinguuntur & pereunt: etenim neque causa mortis alia est, quam dissonantia & discordia partium, a qua vitae conservatio dependet. Naturalis quaedam regula est, ut omnes velint auream concordiam. Sed vero eleganter etiam multoties depraedicata fuit concordia: nam inter ceteras civiles virtutes primum semper locum tenere visa est, ut sine ea reliquae inchoatae sint, nec de se perfectum officium praestare possint. Sic *Gorgias* *Leontinus* inclaros scripsit libros de concordia ad civitates Graeciae, quae eo tempore inter se

se diffidebant & intestina etiam discordia flagrabant. Et civili discordia laborante populo Romano *Demetrius Magnesus* librum ad *Pomponium Atticum* scripsit, quem *Cicero* cum legisset, missum ad se à *Pomponio* non contemnendum esse dixit. Probarunt pluribus in orationibus, *Cyrus* ad filios ap. *Xenophontem*. l. 8. *pad. Cyri*. *Philippus Macedonia Rex* ad *Perseum* & *Demetrium* filios ap. *Liv. lib. 10.* Et apud Eundem l. 40. *Cacilius Messellus* ad *M. Lepidum* & *M. Fulvium* Censores. Laudavit *Cicero* in oratione de injuriarum oblivione ap. *Dionem lib. 44.* Commendavit *Micipsa Jugurthæ* ap. *Sallustium*: *Hermocrates* civitatibus dissidentibus ap. *Thucydidem*: *Dio Pasicratis* filius *Prusaensis* *Sophista* & *Philosophus*, quem *Chrysostrum* appellarunt, *Nicomediensibus*: *Aristides* *Sophista Rhodiis*. Enimverò quantopere concordia res parvæ crescant, discordia magna dilabantur, in toto civitatis corpore facile agnoscunt homines, ubi ex diffensione quadam communi non nisi dissolutionem atq; mortem prospiciunt. Sic ante oculos ponitur *Gracia* exemplum, cujus civitates, dum concordēs, innumerabilem fuderunt *Xerxis* exercitum & *Mardonium* debellarunt; sed discordes *Philippo* *Macedonum Regi* facilis præda factæ sunt. Unde inter *sophismata* tyrannorum notissimum est: *discordias serere & his acritas vires occupare*; quod observans *Drusus* non leve decus quæsitivit illiciens *Germanos* ad discordias, sicut dicitur ap. *Tacitum in Annalibus*. Sed siquidem discordes animi adversus publicum insurgunt statum, quis non concussas bonus queritur columnas? quis non abominatur seditionis malitiam & omnem damnat qui adversus magistratum ausus est. Habent magistratus (quod alibi scriptum est) sua omnes privilegia, ut inter suos in tranquillitate lætam expectare sortem quædam jubeat religio. Ad eò hætenus non ausus fuit temerator quispiam sine nota perturbare statum reipublicæ, nec pœna unquam abfuit, si quis magistratum spreverit ipsiusq; auctoritate susq; deq; habitam impiam temeritatem orbi ostentaverit. Enimverò solet ex censura hominum magna inesse sanctitas auctoritati ei, qua pollet magistratus: sic enim aliter jure gentium fieri posse creditum non est, nisi vellent civitates exterminare omnes, & naturale

(quod dicitur) bellum ad libidinem malorum experiri omnium. Hic autem quænam pondera doctrinæ fecerit pænarum acerbitas, quàmque metus ipse rationem contra temerarios muniverit, multis in exemplis orbi patefactum est. Verumenimverò quid de mutuis inferiorum, subditorū, civiumq; altercationibus ac diffidiis dicendum est? Hic maximè explosum illud *Machiavelli* arcanum est, quod fovendo diffidia inter Status, Proceres, Consiliarios & subditos, ad securitatem pertinens ei prædicatur. Nam rectè *Comineus* hoc dixit esse grandem in penatibus suis ignem accendere, cujus flammam intra certos & definitos terminos nemo continere, nemo extinguere possit, cum omnes involverit. Sanè quis ignorat exempla in historiis notissima eorum, qui fidem excusserunt, ob hanc unam diffidorum causam? Adeò in consiliis alter plerumq; ab altero non tam propter commodum Principum sed privatum odium diffidet, & ut æmuli consilium impediatur vel officiat laudi ejus aut præmiis, hostibus non rarò revelatum esse in historiarum monumentis legimus. Statuum ac subditorum publicis dissensionibus solus delectatur Tyrannus. At quàm odiosum in societate humanâ nomen! quàm periculosa ejus conditio qui metui mavult quàm amari. Hic in diffidiis subditorum securitatem quarit quò grassetur; sed dum seminat diffidia, temeritas utrobq; surgit & audacia, unde quid non metuendū grassatori, quid uni adhærens parti ex alterâ non formidabit periculosissimum? Sed adhuc ampliùs consideremus mutua inter cives subditosq; odia & jurgia. Hæc *inter conjuges* mala teterrima audiunt & communibus damnantur votis, mala, inquam, teterrima quæ ipsis inhærere offibus visa sunt. Per concordiam crescit omnis conjugalis felicitas, stat salva domus, auctoritate pollet herus, augentur divitiæ. Néc poterunt esse validiora imperia erga liberos, famulos, quàm ubi Conjuges communi statuunt sententia, cum per discordias alterutriuſ contemnatur autoritas. Dolores hic malis insunt intolerabiles, unde incerta mens, quæ ad vitia demum respicit: hinc ebrietas, hinc cædes, ad ulteriora, parricidia; hinc demum filius degener, quem ubi dixerò, omnia mala dixerò: Ecquænam enim (sic alibi hanc circa rem argumentati sumus) potest esse spes bonæ

bonæ mentis, cum tenera creverit inter parentum diffidia, dum prava hominum natura subinde augetur malis moribus & augmentum mali facile est? Viri præstantia ipsi principatum addicit suæ familiæ, quam regere prudentia & consilio, & tueri locum suum non vi & impetu sed laudabili bonitate, ac disponere totam domum ad lætam voluntatum consonantiam, vera præstantia est. Sed uxoribus optima consilia suppeditat *Anton. Guevara in epist. d. probroso uxoris imperio, Epist. & dissert. part. 2. p. 600. seq.* ne viris sæpe extra penates suos commotis verbo aduersentur; sed semper in quibusvis etiam jurgiis cogitent, maritum jurgandi causam aut justam aut fortasse nullam habere. si justam; ferendum: si nullam; dissimulandum. Alioquin enim (pergit) facile posset fieri, ut ita contentionis æstu ipsa mulier atripere- tur, ut vir, qui rixæ autor fuisset, culpa tandem liberaretur; ipsa verò quæ extra culpam initio fuisset, culpam tandem omnem sustineret. Imò ulterius notandum quod *ibidem* sapientissimè propositum est, dum ita: *Omninò pessimè in se consulere uxores censeo, qua conviciu viros proscindunt. Neq; enim minitari illis possunt, quin seipsas consaucient, dum videlicet que maritum temulen- rum vocat, vinosi uxor audit; que fatuum nominat, fatui con- jux appellatur. Et. Quod si fortè maritus injustum uxori quippi- am imperet, obediendum illi, non contradicendum censeam, & post- quam ira relanguisset impetus, bilisq; æstus refraxisset, tunc illi expo- ni ostendi posse, & ipsum in jubendo temeritatem, & uxoris in ob- temperando prudentiam.* His perpensis bonismalisq; domesti- cis, quid non dicendum erit de bonis quæ mutua civium con- cordia in domum infert, deq; malis quæ extra domum proferun- tur, inq; domum ipsam redundant ex diffidiis. Magnopere omnis ætas quæta est tot in forolites, tantos judiciorum strepitus, ubi sicut *Martialis lib. 6. epigr. 19.* lusit, cum lis est de tribus capellis,

*Hi Cannas Mitbridaticumq; bellum,*

*Et perjuria Punici furoris,*

*Et Syllas, Mariosq;, Mutiosq;*

*Magnâ voce sonant, manuq; tota.*

Hic tamen miseræ horrere lites docuerunt tot incommoda,  
quæ sequuntur eas & mirum in modum torquent afficiuntq;  
homines.

A 3

o dira



O diræ lites, ô Jurgia dira Reorum  
 O furis, Ereboq; sata mortalia semper  
 Continuo diro laniatu corda secantes!  
 Quæis neq; deterius potuit, neq; tristius ullum  
 Juppiter iratus terris immittere monstrum  
 Quæ lassis requiem membris, somnumq; negatis,  
 Omnia quæ pravo Natura vincula more  
 Solvitis, Et junctas æterno fœdere dextras  
 Cogitis adversis concurrere cominus hastis.  
 Quæ firmum nihil esse, ratum nihil esse jubetis,  
 Quæ Regum Comites, ultroq; impellit ipsos  
 Nescio quâ dulci Reges dulcedine captos  
 Currere in hoc stadio, nec honestâ vincere pugna.  
 At meliora tamen succedunt ultima primis,  
 Aut ferrum fulvo fortasse rependitis auro,  
 Et cum multa rei tulerint incommoda, tandem,  
 Grande lucrum referunt. Quale hoc? lucrentur ut a ssem  
 Tota resignatis fundunt patrimonia fideis.  
 Quid quod multa ferunt servis indigna? suiq;  
 Obliti generis, nunc vilis ad ostia scribe  
 Manè sedent, illumq; forum comitantur euntem,  
 Observant quàm longa dies, Et nocte reducunt.  
 Hinc ubi clauduntur manibus subsellia ferreis,  
 Lictores folio insignes, virgâq; superbos,  
 Suspiciunt humiles, aditumq; precantur Et orant,  
 Aut mixti media certant irrumpere turba,  
 Excipiuntq; nihil præter maledicta, levesq;  
 Astantum risus, Et vulnera sæpe reporsant.  
 Tantane venturi spes vos sustineat honoris,  
 Libertas ne sit potior? tu scilicet istâ  
 Nobilitate ferox, istisq; parentibus ortus,  
 Vilibus officiis submittere libera colla

*Pulcrius esse putas, ut ne videre propinquo  
 Aut alii cessisse tuis de vitibus ullam?  
 Instar equi viridem in prato qui solus ut herbam  
 Pasceret, impigro veritus concurrere cervo,  
 Fugit ad externas vireis, hominumq; poposcit  
 Auxilium, dorsoq; equitem frenumq; recepit  
 Ore, quoad totis superatus cederet verbis  
 Æmulus. At quanti victoria constitit illi!  
 Victor eques domito vetuit descendere dorso,  
 Nec victoris equi manibus detrusit habenas.  
 Quid tu? Ne fiat res esse tibi minor uno,  
 Ne plus accipiat, sibi ne plus arroget alter,  
 Tot superinducis dominos, elate, superbos,  
 Elato capiti, tot spurca redemptaque nummis  
 Mancipia, unius quia mores ferre nequisti,  
 Visus quod potior tibi pace teruncius alma.*

Ita dispendia, molestias, & incommoda, quæ lites afferunt, & litigatores sufferunt, describit Auctor Anonymus Francus, qui extat inter satyricos minores ex edit. M. Zuerii Boxhornii. Sed pariter eruditè etiam hæc omnia perstrinxit variisq; sententiarum gemmis illustravit Jurga-Valentinus Winther J. U. D. Comes Palat. Cæs. & Philippi II. Pomeraniæ Ducis Consiliarius in *Parthen. litig. lib. 1. c. 2* unde cum allegationibus sumpsit, quæ in Jurisprudencia forensi p. 1. C. 1. def. 9. exhibet Carpzovius. Hæc autem quasi in compendio legi videntur in allegata ibi Inscriptione, quæ est in Prætorio Mediolanensi his verbis: *In controversiis causarum capitales inimicitia oriuntur, sit amissio expensarum, labor animi excercitur, corpus quotidie fatigatur, multa in honesta crimina inde consequuntur: bona & utilia opera postponuntur: & qui sepe credunt obtinere, frequenter succumbunt, ac si obtinens, computatis laboribus & expensis nihil acquirunt.* Sed horret animus injuriarum vindictæq; truculentiam, ubi hostiliter & bruta prorsus dimicant insania homines, ubi cupida vindictæ ira in civitate variis in simultatum malis contra concordia serenitatem

rem nubes amat & fulmina quatit ac vix non Achérona movet. Hic multa diu remedia quærita & præscripta sunt, maximeq; celebrata non immeritò antiqua est Philosophorum doctrina, quæ illud nobis symbolum offertur: *Sustine & abstine*. Hæc nullas sibi injurias metuere docet, hæc affectus ponere jubet, hæc omnem quæ aliunde est opinionem abstrahit. Felix sanè qui solvendus prorsus erat à vinculo affectuum, quibus duriter illigatum plerumq; animum abjectissima teneri servitute animadvertimus. Hic libertas inæstimabilis recreare poterat homines: Hic tuta mentis tranquillitas sine ira, sine altercationibus ac inimicitis in eo operatura erat quod acceptum Deo utileq; terris. Eheu! quid non svadent immoderabile affectus hominum! Certè ira saltem cognoscenda est: Hæc, quemadmodum describit Seneca, *sui impetens, decoris oblitæ, necessitudinum immemor, in quod cepit, pertinax & intentæ, rationi consiliisque præclusa, vanis agitata causis, ad dispectum æqui veris, inhabilitæ, ruinis simillima, quæ super id quod oppressere franguntur*. Senec. d. ira l. i. c. i. Hanc belluam, quæcunq; sapientia refrænaverit, ea demum vera imò divina sapientia non immeritò prædicanda est. Equidem diffitendum non esse reor, injuriis (de quibus potissimum hæc nostra est oratio) haud locum fore, si nunquam incandescerent mortalium animi; ne dicam quod *sustinendo* h. e. contemnendo injurias instar muri ahenei inanem facturis quisq; esset à diversarii impetum. Quis injuriantium scopus alius est, quàm ut te lædat, ut tibi ægrè faciat? Si scopum non tangit, si te non lædi animadvertit, si in cassum laborat, facillè posthac abstenturus est. Et certè haud absolum videtur, quod Philosophus ingeminat: *Non is, qui ladere te, cupit, sed tua ipsa te opinio ladit*. Id variis in exemplis expeditum est. Provoco ad nostram scientiam; Novimus homines, à quibus verba quæcunq; injuriosa calidi juvenes non pro injuriis accipiunt sed mutua quasi per lusum jactant. Quæ hic causa, quod non perturbentur? Non res deest, quæ ceteroquin perturbantur & accenduntur maximopere, nec animus injuriandi deficit, qui facit ut in ipsa aliquando tela irruant quò puniant! Sed hæc sola, quæ de rebus concepta est opinio, hæc inquam sola est quæ injurias esse nullas efficit. Verum enim verò quis liberabit ab affectuum

Quum servitute mortalium animos? Quinimò liberentur licet sapientes ut à plebejo statu atq; nota secernatur eorum status, isque Philosophorum expressa imago sit: Attamen (eheu!) ò quàm pauci sunt Philosophi, quàmq; est difficilis inter homines humana doctrina, quam ex vero lumine naturæ Epictetus proposuit *cap. 37. ubi: Frater te ledit? cuius inquit, munus tuum erga ipsum tuere: nec quid ille agat considera, sed quibus rebus agendis tuum institutum natura futurum sit consentaneum.* Bene apud Eundem *cap. 65.* legitur & sapienter dictum: *Unaquæq; res duas habet ansas; unam tolerabilem, alteram intolerabilem. Ergo si frater injuriam fecerit, non eam prehendere, quàm facit injuriam: eam enim ejus ansa non est tolerabilis; sed illine potius: esse fratrem, esse unam educatum. Sic prehendes rem quàm est tolerabilis.* Veruntamen proh dolor! iterumq; eheu! fratrum quoq; concordia rara est! Tum odia conjunctissimorum gravissima, bella inter fratres irreconciliabilia esse, per exempla & sententias satis demonstratum est. *vid. Piccart. observ. historico-polit. dec. 14. cap. 3.* Ibi quæ apud concordantes vincula charitatis, secundum Tacitum incitamenta (ut allegantur) inter infensos sunt, nullumq;, ut dicitur ex Quintiliani *declamat. 17.* habent proximorum odia regressum. Scilicet ita philosophari & ad rationes venire satagunt: Cognatos & quotquot sanguine aut interiori familiaritate conjuncti sunt, si à suis injuriâ afficiantur, duplici inde dolore affici: cum enim vel sanguinis vel necessitudinis ratione optimaquæq; ab amicis expectare debuerint, dolere primum se illa spe dejici, beneficioq;, quod sibi polliciti fuerint, carere & privari: deinde & acrius quidem dolere, si pro beneficio quod expectabant, maleficium referant, hoc est, damnum & injuriam *vid. Piccart. dict. loc.* Equidem scommata tamen & convicia nullam vim habere visa sunt prudentioribus, si firmum animum peterent; sed adversus illiberalem & abjectum illa posse aliquid & sæpe non solum in dolores, verum etiam in mortem conjicere creditum est: cujus rei argumento citantur Socratis ac Poliagri exempla, quorum ille cum in Comœdia taxaretur, ridebat; hic verò se ipsum strangulabat. *Ælian. Var. histor. lib. 6. cap. 8.* Adeò cordatiores inter gentes bene perpendebant non

B

posse

posse quemquam magis in calamitate esse quam in visio: Unde  
*αγορευτικῶν* indecorè facere si cuiquam cum Clazomeniis quasi liceat,  
hoc est, turpis & innata quasi malitiæ nota aliquis informis vin-  
dictâq; indignus magis innotescat omnib; & factum inter bonos  
odio habeatur, satis habere his solatii reputatum est *Ælian. var.  
histor. lib. 2. cap. 15.* Quinimo hanc gratiâ cum Philippo reddiderunt  
plures suis convitiatoribus, ut ipsi meliores redderentur & con-  
vincerent improbitatis illos vel mendacii: Imitati fuerunt nau-  
tas qui navigiū undiq; luxatis compagibus trahentis aquam mani-  
festa foramina præcludunt, latentibus & ex occulto sentinam  
ducentibus labore continuo resistunt. Ita maximo opere unicuiq;  
inquirendum in se esse docuerunt, quare non meliora nactus sit?  
annon suis id malum vitii imputandum sit? quo circa cum in plu-  
rimis tam fallaces nobis opiniones quotidie appareant, an nos-  
met ipsos non tales fallant probè perpendendum est. Quid au-  
tem benemeritis magis nocet ulla malitia quàm Socrati ex sua  
sententia *asinus calcitrans*? Potius hîc valere debet quod ait  
Epictetus *Enchirid. c. 64.* *Quod si malè iudicat, is damnatum facit  
qui decipitur. Nam involutam veritatem si quis mendacium iudicat,  
non ea involuta leditur, sed ille qui deceptus fuerit.* Tum verò perquâ  
verum est quod Attalum suum dicere solitum fuisse dicit Sene-  
ca; *Malitia maximam partem veneni sui bibit: epist. 81.* quod cum  
habentibus pessimum sit, homines malè serpentum more agere  
sua pœna indicant, cum hi in alienam perniciem proferant, sine  
sua contineant. Adeò non melior ulla ulciscendi ratio, quàm pro-  
bitate vitæ bonisq; meritis ostentare publicam de malis victoriam  
eamq; laudatissimam. Hac ratione optimum videri poterat  
quod in Stoicorum scholis propositum fuit: *Alios accusare in cala-  
mitate sua, hominis est ineruditi; se ipsum, ejus, qui erudiri cepit.*  
*Epictet. Enchirid. c. 10.* At verò licet hæc virtutum argumenta  
unusquisq; in se reperiat si studiosè quærat; aliunde tamen suaq;  
ex obligatione erga patriam remq; publicam injuriarum etiam  
vindictam dimensî sunt. Sic privata odia *publica utilitatibus me-  
moriâq; simultatum patria remittere* solemne boni civis  
quorundam argumentum fuit. Adeò bene inter publica pericula &  
damna cogitandum est quod periclitante corpore exigua uten-  
silium

filium sit jactura; optimumque optimis in verbis L. Lentuli solatium  
viris probis est, dum milites, ut se hosti dederent, exhortans, *fa-*  
*da, inquit, atque ignominiosa deditio est, sed ea charitas patriæ*  
*est, ut eam ignominia eam, quam morte nostra si opus sit, seruemus:*  
*Subeat ergo ista, quantumcumque est, indignitas.* Plura non addam; sic  
fatis enim laudabilis concordia visa est dum maxime civilis aut utili-  
tatis aut necessitatis ratio innotuit. At perfectiori fundamento  
stabiliti argumentum non inmerito reputatum est, si Spiritus Sancti  
gratia hoc in bono expectanda sit. O beatam vitam cui assistit tan-  
tum consolationis presidium! Totis tenebris obscuratur no-  
stra salus nisi tanto lumine illuminetur nostra conscientia; totis-  
que malis facile bonam mentem inimicus generis humani afficit,  
nisi gratia Dei in Spiritu Sancto obsignet fiduciam. Hic sacro-  
rum ordinum distributor, Reges creat & Principes (quod ait Cy-  
prianus) sacrat Pontifices, eligit sacerdotes, Hic sapientia (pergit)  
Salomonem, intellectu Daniele, Joseph consilio, Samsonem  
fortitudine, Moysen scientia, Davidem pietate prosequitur  
& sanctorum animas omnimodis fecundat virtutibus, ut jam  
in caelis sit nostra conversatio, diffusa in nobis charitate per  
ipsum qui datus est nobis. *Rom. 5.* Quid igitur boni statu in publi-  
co sperandum, si abcesserit Sanctus Spiritus? O damnum ingens,  
horrendum periculum! Qua contemplabitur fiducia Deifaciem  
sacerdos, qui tantum abjecerit sua temeritate aut dissensione ma-  
lam thesaurum optimum? Quo Sauli non exemplo periturus Prin-  
ceps est, si tantus sapientiae & tranquillitatis hospes discesserit?  
O duram eorum conditionem, qui tanto non fulciuntur solatio!  
Consideremus quod Cyprianus ad Martyres & Confessores de  
Mappalio scripsit *Epist. 9.* Si acies vocaverit si certaminis dies ve-  
nerit, ut militemus fortiter, & constanter dimicemus, hoc Spiritus  
Sancti gratia obtinemus, scientes nos sub oculis presentis do-  
mini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam per-  
venire: qui non sic est, ut servos suos tantum spectet; sed & ipse  
luctatur in nobis, ipse congregatur, ipse in certamine agonis  
nostri & coronat pariter & coronatur. haec Cyprianus.  
At quibus datur hoc ingens donum? Qui charitatem non ha-  
bet Deum non habet; Sed quemadmodum *1. Job. 4.* dicitur,  
Deus

Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet & Deus in illo manet. Adeo *Cum advenisset dies Pentecostes essentq; omnes concorditer eodem loci, Tum exstitit repente sonitus e caelo tanquam ruenis flatus violenti, qui replevit totam domum ubi erant confidentes. Repleti autem omnes Spiritu Sancto ceperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus ille dabat essari.* O damnatos & excludos à Paracleti hujus sanctissimi certissimiq; nostræ salutis pignoris gratia homines, qui discordiis impliciti sunt, & ultra causas gentilium solo lumine naturæ nativis parum ceteroquin suis sapientia feminibus relictæ cognitæ repugnant, tantis & ultimi Salvatoris testamenti & sanctissimi Spiritus monitis, argumentis atq; gratiis resistunt, satiusq; ducunt suis satisfacere cupiditatib; quas tamen dominas habere majoris crediderunt gentes virtutis esse quam hostem prælio vincere. Hac verò nostra in Academia dilectissimi optimiq; Cives hauriamus diligentissimè his diebus festis saluberrima dogmata, & concordibus precibus imploremus tantam ex Sancto Spiritu illuminationem, tantamq; in desiderio cœlestis hereditatis spem contemplemur certissimam. Absint procul omnia diffidia! Et ad invicem colendam, quam præcepit Redemptor novissimi opræcepto, dilectionē fraternā, ob oculos positum sit quod contra contemptores abs Gregorio in pastorali prolatum est: *Si Dei vocantur filii, qui pacem faciunt: procul dubio Satana sunt filii, qui pacem confundunt. Sicut nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis, ita nihil est desiderabilius diabolo, extinctione charitatis.* Quisquis ergo seminando jurgia, dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiaris servit. Nostra lingua Christum confessa (sicut iterum ait Cyprianus *de unitate Eccles.* p. m. 153.) non sit maledica, non turbulenta, non conviciis & litibus perstrepens audiatur, non contra fratres post verba laudis, serpentis venena jaculetur. Dum volumus vitam & amamus videre dies optimos, o contineamus juxta *Psalm. 33.* linguas nostras à malo, & labia nostra ne loquantur insidiosa: Declinemus à malo, & faciamus bonum: quæramus pacem & sequamur eam. P. P. Sub Sigillo Rectoratus, ipso die Pentecostes A. Dom. MDCXC.

105 (0) 200







filium sit jactura; optimumque optimis in  
 viris probis est, dum milites, ut se hosti-  
 da, inquit, atque ignominiosa deditio est,  
 est, ut tam ignominia eam, quam morte  
 Subeat erga ista, quantacumque est, indigni-  
 fatis enim laudabilis concordia visa est  
 tatis aut necessitatis ratio innotuit. At  
 stabilitum argumentum non in merito rep-  
 gratia hoc in bono expectanda sit. O be-  
 rum consolationis praesidium! Totis  
 strafalus nisi tanto lumine illuminetur  
 que malis facile bonam mentem inimicu-  
 nisi gratia Dei in Spiritu Sancto oblige-  
 rum ordinum distributor, Reges creat &  
 prianus) sacrat Pontifices, eligit sacerdos  
 Salomonem, intellectu Danielem, Jose-  
 fortitudine, Moysen scientia, Davide  
 & sanctorum animas omnimodis factu  
 in caelis sit nostra conversatio, diffusa  
 ipsum qui datus est nobis. Rom. 5. Quid  
 co sperandum, si abscesserit Sanctus Spiritus  
 horrendum periculum! Quae contem-  
 sacerdos, qui tantum abjecerit sua temer-  
 la thesaurum optimum? Quo Sauli non  
 ceptus est, si tantus sapientiae & tranquill-  
 Oduram eorum conditionem, qui tant-  
 Consideremus quod Cyprianus ad Ma-  
 Mappalio scripsit *Epist. 9.* Si acies vocave-  
 nerit, ut militemus fortiter, & constante  
 Sancti gratia obtinemus, scientes nos  
 mini dimicare, confessione nominis e-  
 venire: qui non sic est, ut servos suos tan-  
 luctatur in nobis, ipse congregatur, in  
 nostri & coronat pariter & coronatu-  
 At quibus datur hoc ingens donum? Qu-  
 bet Deum non habet; Sed quemadmodu-

ali solatium  
 mortans, fa-  
 rias patria  
 , servemus;  
 addam; sic  
 lis aut utili-  
 ndamento  
 ritus Sancti  
 assistit tan-  
 uratur no-  
 entia; totis-  
 mani afficit,  
 Hic sacro-  
 vod ait Cy-  
 ntia (pergit)  
 Samsonem  
 rosequitur  
 us, ut jam  
 aritate per-  
 tu in publi-  
 um ingens,  
 Deificam  
 nsione ma-  
 turus Prin-  
 discesserit?  
 tur solatio  
 fessores de-  
 nis dies ve-  
 oc Spiritus  
 a sentis do-  
 lori amper-  
 fed & ipse  
 nine agonis  
 Cyprianus.  
 m non ha-  
 4. dicitur,  
 Deus

